AD QVODLIBETARIAM.
QVAESTIO MEDICA.
MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM PARIS. DIE IOVIS 25. IANVARII M. EGIDIO HERON DOCTORE MEDICO DECANO MODERATOTE PRVDENTISSIMO.

An partium omnium alimentum ſanguis?

QVEMADMODVM nihil nutritur, quod vitam non habeat: ſic ad vitam nutritionis neceſſitas, à perpetuo ſubſtantiæ triplicis effluuio: hoc à calore eidem inſito: qui primum & ſimilare animæ inſtrumentum humidum primigenium ſorbillat perpetuò, ſubſtantiam humidam digerit in vapores, vrinas, ſudores: ſolidam tenuando atterit, ſpirituoſam diſſipat. Hinc ſitis, fames, & reſpiratio: quarum illa potus, hæc cibi eſt appetitus, tertia ab aëre refrigerium petit, & ſpiritus alimentum. Aërem pulmo excipit, potum etiam, ſed hunc & ventriculus maximè. Conficit altrix animæ facultas, tum parti cuilibet inſita tum a iecore per venas influens, ancillarum quatuor vſa miniſterio attractricis, retentricis, concoctricis, expultricis. harum integritas a partis pendet εὐκρασίᾳ, à δυσκρασίᾳ triplex peruerſitas ὀλιγοτροφία, ἀτροφία, κακοτροφία. Nutritionem hæc faciunt præcipuè: at poliunt & perficiunt influentes aliæ, vitalis à corde per arterias, animalis à cerebro per neruos: illa vitam, hæc motum & ſenſum ſuppeditans.

HINC fit vt aëris, cibi, potus moderato ac tempeſtiuo vſu corporis conſtitutio conſeruetur potiſſimùm. Quorum par ſanè atque æqualis neceſſitas: nec enim ſine his vitam viuere vlli vnquam licuit. Diſſimilia quidem naturæ noſtræ, at ſimilia tamen: Omniáque alimentum vnum, idemq; plura ſubſtantiam auget & reſarcit: ſiccat, frigefacit, & omne tamen humectat & calefacit. Immutat, immutatur alimentum idem, & medicamentum ὕδωρ ποτόν medicamentum optimum, alimentum nullum: at nutritionem promouet in partibus ſingulis.

PARTIVM corporis, quanquam aliæ ſpermaticæ dicuntur vt oſſa, cartilagines, nerui, cutis, viſcerum ſtamina: Sanguineæ aliæ vt viſcerum parenchymata & muſculorum caro: omnium tamen prima origo à ſanguine. Ideoque omnium alimentum ſanguis, quo hæ confertím, illæ non niſi per longas moras atque multiplices mutationes reficiuntur: hic primùm, roris inſtar, ab exilibus vaſis exudans partibus alendis apponitur: Inde glutinis in modum ipſis adhæreſcit & velut adglutinatur: poſtremò in propriam partium ſubſtantiam faceſſit, iiſque aſſimilatur: alioqui appoſitionem, adglutinationem & aſſimilationem vitioſas morborum myrias conſequitur vitiligo, anaſarca, leuce, puſtulæ, ſcabies.

QVAMVIS enim ex chylo heteregeneo quatuor oriantur primi & principes ſucci ſanguis, bilis, pituita, & melancholicus ſuccus, partim hepatis & venarum αἱματοποιητικῇ facultate, partim calore, quorum amarus vnus, acidus alter, reliqui dulces: tamen dulcibùs nutrimur tantùm, amaris, acidis nom item: At vſum in corpore præbent humores illi qui ſunt expertes dulcedinis. bilis ſiquidem ex meatu cholidoco in inteſtina delapſa ea terget & ad excretionem ſtimulat. Splen ſuccum melancholicum craſſiorem tum ad fundum, tum ad orificium ventriculi ſuperius amandat, cuius adſtrictione appetentia excitatur. At pituita naturalis, dulcis illa quidem cruda tamen, non niſi per longas inedias in ſanguinem mutata nutrit.

HINC excretorum & retentorum ſpectanda ratio, excreta iuuant vapores fuliginoſi, vrina, fæces, excrementitij humores, bilis è ſua cyſti, melancholicus ſuccus è liene, pituita craſſior è capite, ventriculo, & inteſtinis: ſanguis è naribus perpetuò malus. At retentus ex vſu eſt, íſque è iecore & venis maioribus ad partes alendas tum ſpiritu naturali deducitur, tum propria partium vi attrahitur. Harum à calore inſito exhauſtum conſequitur appetitus naturalis, quem ſuctus excipit, hunc deinde ſuctionis ſenſus, à quo denique citata animalis appetentia, fibras rectas mouet ad trahendum. At ſi loco ſanguinis reliquorum humorum fiat attractio, κακοτροφία ſequetur quæ καχεξίαν facit morborum plurimorum parentem, quemadmodum attractus ſanguis εὐεξίαν in quâ perfecta ſanitas.

(.:)

Ergo partium omnium alimentum ſanguis.

(.:)

Proponebat PETRVS DELABOYSSIERE BLÆSEVS Anno Domini. (1601.)

(.:) (.:)

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

(.:)

M. Bonauentura Hachette.	M. Germanus Clerſelier.	M. Egidius Heron præſes & Decanus.
M. Petrus Collier.	M. Robertus le Secq.	M. Ioannes Beaucheſne
M. Franciſcus Ellain.	M. Ricardus Marces.	M. Ioannes Riolan.

